

# PALAEESTRA LATINA

## SUMMARIUM

- Castra Metellina (L. Marcos)  
Dius XI et Dius XII (Actuarie)  
Litteras Latinas excolamus (M. López de Zubiria)  
Juxta Crucem (A. Lacruz)  
Quaestiones Litterariae (G. Cabello)  
Mirifica Portenta (L. Marcos)  
Palaestra Exercitoria (Palaesticus)  
Epheborum Exercitationes  
Cursus Gymnasticus (M. Zubiria)  
Commercium Epistulare  
Conloquia in Schola  
De Bucolicis Vergilianis (M. Luengos)  
In memoriam Dris Segalá (L. Pujol)  
Bibliographia (J. Jiménez)

# CASTRA METELLINA (Medellín) <sup>(1)</sup>

In novum Martyrem R. P. Antonium Lozano a communis occisum

Romanus Consul, qua collis plurimus exstat  
Juxta flumen Anam, castra Metellus init.  
Vertice in excelso Hispani posuere nepotes  
Moenia quae nostro tempore fracia labant.  
Proximus his vicus clivo surrexit in imo,  
Alite qui fama personat axe poli.  
Viderat hic primam lucem ille Hernandus, Ibero  
Qui Aztecam Gentem subdidit imperio.  
Hoc natus vico, Martyr celebrandus in aevum  
Lozanus noster fertur in astra nece.  
Quae prisco fulgebant, plus splendore recenti  
Martyre Lozano moenia fracia micant.

LUDOVICUS MARCOS C. M. F.

Villae Rosarii in Argentina.

---

(1) Haec civitas (Castra Metellina in Hispania) patria est fortunata clarissimi Martyris R. P. Antonii Lozano e Congregatione Missionariorum Pillorum Inmaculati Cordis B. Mariae Virginis.

## MONITUM

Subnotatores et socios animadversos volumus, non nisi magnis difficultatibus atque sumptibus «Palaestram Latinam» reviviscere. Omnibus ergo compertum facimus subnotationem—solutione antelata—pro unoquoque anno 10 pesetis constare pro Hispania et Lusitania, 11 pes. pro America et Philippinis Insulis, et 12 pesetis pro reliquis civitatibus.

Rerum adjuncta, quae vos, amici Subnotatores, haud difficile videbitis, coegerunt pretium mutare. Ignoscite, quod vehementer rogamus.

# PALAESTR A L A T I N A

**Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitanía, 11 pes. in America et Philippinis Insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus — Premium mittatur oportet ad Administratorem: Alagón (Zaragoza) Misioneros-España.**

## PIUS XI ET PIUS XII



ANC «PALAESTRAE LATINAЕ» pagellam tristitiae simul et gaudii lacrimis interlinere cogimur. Tristitiae dico; Pius namque XI, jurium Ecclesiae intrepidus Propugnator, indefessus Missionum Pontifex atque Actionis Catholicae, Litterarum ac Scientiarum praecellarus Fautor ex hac vita ad caelestem patriam evolavit postquam Navis Petri gubernacula decem et septem annos sanctissime tenuerat. Plenus dierum atque meritorum e vita migravit die X mensis Februarii anno MCMXXXIX, omnibus Ecclesiae auxiliis communitus. Totus terrarum orbis Patrem luxit Dilectissimum Supremumque animarum Pastorem, cuius labores et merita maximam mercedem in caelis accepisse credimus. R. I. P.

Nondum Ecclesia Christi lacrimis tristitiae pepercerat, cum jam faustissimo nuntio exultat atque jubilat.

Papam habemus. Die 2 martii Eminentissimus Cardinalis Eugenius Pacelli Pontifex Supremus—nomine Pii XII accepto—Pastor et Magister Gregis Christifidelis renuntiatus est. Patrem carissimum nobis donavit Deus. Gaudeamus omnes in Domino tantam celebrantes mercedem gratiasque quam plurimas Omnipotenti referamus.

Pius XII die 2 martii anno 1876 Romae natus est.

Anno 1911 Substitutus Secretariae Status, anno 1917 Nuntius Apostolicus Monacensis, anno 1920 Nuntius Apostolicus Berolinensis, die 16 decembris anno 1929 S. R. E. Cardinalis et die 7 februarii anno 1930 a Secretis Status creatus set, die 2 martii anno 1939 ad Summum Pontificatum evectus, die 12 martii anno 1939 solemniter coronatus est.

PALAESTR A LATINA, Summo Ecclesiae Pontifici semper obsequens, observantiam, amorem et oboedientiam iterum atque iterum Pio XII testatur et testabitur, ab eoque humiliter benedictionem petit amplissimam.

Totum igitur Pontificatum, quo jam fungitur, illi Moderator atque PALAESTRAE LATINAЕ Conscriptores faustissimum optamus gratiis repletum caelestibus, dum Deum ejusque Matrem rogamus ut tantum tamque praeclarum Pontificem plurimos annos conservent ac tueantur.

PALAESTR A LATINA

# LITTERAS LATINAS EXCOLAMUS

Est qui litterarum Latinarum necessitatem et praestantiam eamque maximam infilietur? Est qui earum studium non apud Clericos tantum, verum et apud homines laicos, quadam litterarum civitate donatos, excolendum neglegat?

## VERBA PERPENDENDA

Ex ore sacro Pii X, Pontificis Maximi, quaedam efluxerunt verba quae cor dolore affectum ostendebant» Vehementer dolemus-ait-quod accepimus linguam Latinam in quibusdam Seminariis ita neglegi, ut a disciplinis non solum Philosophiae et Juris Canonici, sed etiam ab ipsa universa Theologia remota esse videatur. Quod discipulis, iis praesertim qui subtiliori et exquisitori ratione in magnis Lyceis ad has disciplinas animum applicaturi sunt, maximum adfert detrimentum » (Pius X-Anno MCMVIII) Hodiernis scientiae sedibus verba Supremi Magistri applicari possunt? Palaestra Latina Pontificis nutis obsequens atque votis adlaborare enixe conabitur ut litterae Latinae maximi ducantur, per orbem terrarum propagentur atque Ecclesiae Christi nobile ornamentum sint atque decus.

## LITTERARUM LATINARUM NECESSITAS

Suntne necessariae litterae Latinae? Romani Pontifices scripta necessitatem exprimentia nobis reliquerunt non pauca. «Illiud in primis, quod maximi momenti et ponderis est, notari atque animadversi volumus, linguam Latinam jure meritoque dici et esse linguam Ecclesiae propriam. Et profecto hac lingua, si quando necessitas exigat, Sacerdotes disjunctarum diversarumque civitatum conloqui et scribere inter se solent ad sensa mentis pandenda, quae aliter inter se pandere non possent.» (Pius X-Anno MCMVIII). Filius linguam loquatur parentum, et christianus, praesertim Clericus, linguam Latinam, quae Ecclesiae, Matris, propria est. «Quod si in quopiam homine laico-scribit Pius XI-qui quidein sit tinctus litteris, Latinae linguae, quam dicere *catholicam* vere possumus, ignoratio quendam amoris erga Ecclesiam languorem indicat, quanto magis omnes Clericos quotquot sunt decet ejusdem linguae satis gnaros esse atque peritos!» (Epistula Apostolica «Officiorum omnium»).

## LITTERARUM LATINARUM PRAESTANTIA

«Hac lingua-scribebat Pius X-in qua sacri libri veteris novique Testamenti versi sunt Clerus canonicas recitat precatioenes, Sacrum facit, omnesque sacros ritus et caeremonias, quas Liturgia praescribit, exsequitur. Quin etiam hac lingua Summus Pontifex et sacra Concilia Ecclesiae negotiis curandis in litteris actisque omnibus edendis utuntur. Accedit quod quos doctissimos libros sancti Patres Ecclesiaeque Doctores latine scripsero, eos et huic linguae commendarunt. »(Pius X-Anno MCMVIII)

Quod iisdem fere verbis urget Pius XI. «Quanti autem momenti sit juvenes religiosos Latini esse bene gnos sermonis, id non modo declarat quod eo ipso Ecclesia uitur veluti ministro et vinculo unitatis, sed etiam quia Latine Biblia legimus, Latine et psalmus et litamus et sacris ritibus paene omnibus persungimur. Huc praeterea accedit, quod Romanus Pontifex Latine universum adloquitur docetque Catholicum orbem, neque alium sane adhibet Romana Curia sermonem cum negotia expedit ac decreta conficit quae fidelius Communis intersunt. Qui autem linguam Latinam non calleant, iis quidem ad copiosa Patrum Doctorumque Ecclesiae volumina difficilior est aditus, quorum plerique non alia usi sunt scribendi ratione ut christianam sapientiam proponerent ac fuerentur.» (Epistula Apostolica «Unigenitus Dei Filius»). Quid adhuc post Romanorum Pontificum aurea verba addendum? Satis superque ad latinitatis praestantiam demonstrandam.

## Quem finem Palaestra Latina sibi proposuerit

Commentarium «Palaestram Latinam» iterum edentes ejusdemque clarissimi Instituto, ris-a marxistis crudeliter occisi-vestigia atque exemplum sequentes propositum nobis imposuimus lectoribus animos, clericis et laicis, adjicere in litteris Latinis excolendis. Pontifices Ecclesiae Maximi saepe saepius locuti sunt. Clerici omnes plenissimam sermonis Latini scientiam possidere tenentur ita ut non tantum linguae Latinae imbuantur praecepsis sed et usu atque exercitatione. Alumni, cum latinitatis cursus jam perfecerint, auctorem quemque in litteris Latinis probatissimum optime callere debent.

## Adhortatio

Ad arma, ergo, omnes, laicis non exceptis. Vox Supremi Magistri pro omnibus cathollicis est vox ducis milites ad arma vocantis. Ad arma omnes, o socii et lectores mei humanissimi.

Descendite in harenam qui humanitatis et religionis catholicae studio flagratis atque ardore. Palaestra Latina omnibus, sive Magistris, in omni scientiarum genere versatis, sive Alumnis litterarum Latinarum studiosis perlibenter fores pandit. Commentarius noster omnia Hispaniae Instituta atque Universitates hilaris atque festivus peragrabit, Nationis Auctoritatibus plaudentibus et faventibus, quibus ex imo corde grates referimus. Ad harenam omnes. Ad Palaestram currite.

MACARIUS LÓPEZ DE ZUBIRIA C. M. F.

## SEN TENTIA E

1. Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.
2. Ex vitio alterius sapiens emendat suum.
3. Etiam sanato vulnere cicatrix manet.
4. Puras Deus, non plenas aspicit manus.

PUBLIUS SYRIUS.

# JUSTA CRUCEM

Dulcis erat pendens immanni stipite Jesus,  
Morte piatus crima gentis Adae.  
Saucia membra rubent, qui stillat sanguinis unda,  
Nec superest plagis, vulneribusque locus,  
Cruxque simul nodosa, necis clavique ministri,  
Terra vel ipsa pio tincta cruore madet.  
Saxe carnificum non est quo corda ferorum  
Flectantur; rabies una tenebat eos.  
Langue in extremo cruciatus Martyr agone,  
Fatalisque suo mors venit atra pede.  
Mater adest lacrimans Nati moestissima casum,  
Nec poterat ligno tristis abesse crucis.  
Saevi perterebrat Jesum vis ferrea clavi;  
Haeret fixa cruci Mater amore simul.  
Obtutum Genitus flentem defigit in ipsam;  
Et pariter Jesum suspicit alma Parens.  
Tunc Natus:—¡Mulier, nec matris nomine pectus  
Nunc torquebo tuum, sis valedicta mihi!  
Pono animam, factus generis Salvator Adami;  
¡Heu, tortorque, vides, ipsem extat homo!  
Non atrox ulciscor ego tantumque nefandum  
Crimen. Do veniam; poena minaeque procul.  
Esto redemptorum Mater, tibi cura per aevum  
Sit, quaeso, miserae posteritatis Adae.  
Haec lacrimans Jesus; valuit nec lingua dolore  
Plura dare, extinctio fit gemitusque sono.  
Ingenti Genitrix intus moestissima luctu  
Verba dedit; Tecum non mihi, Nata, mori?  
Unus amor, Fili, quae junxit pectora jamjam  
Mors hodie immitti caedere falce valei?  
Te sequar. Et Matri liceat, dulcissime sorte  
Ferre tuam. Quidni, te moriente, mori?  
Heu sed vita mihi datur; haec tua, Nata, voluntas.  
Sic placitum Patri, mens ita fertque mea.  
O, vivam; Matrisque hominum peramanter obibo  
Munus; sintque mei, sint mihi cordis amor.  
Tuque, vale, mi Fil!!! Utinam, dilecte, liceret  
Et mihi mortales gignere sorte pari!—  
Dixerat; adque crucis lignum mox bracchia tendit;  
Ceditur et lacrimis, ore silente, locus.  
Mors instat: vocemque trahens de pectore Jesus,  
Desertus queritur; seque sitire gemit.  
Nec sunt quae minuant morientis corda laborem:  
Faucibus o siccis gutta negatur aquae!  
Tunc flebilem Jesus clamorem ad sidera tollens,  
Mox animam Patri tradidit ultro suam.  
Solaque Virgo manet Genito viduata! dolore  
Conficitur magno; vix neque sensus ei.  
Ipsi nos omnes, Virgo moestissima, fletus  
Causa tui, Jesu nos quaque causa necis.  
Quas hodie lacrimas pro culpis fundimus omnes  
Digneris lacrimis jungere, Virgo, tuis.  
Unus amor Christi semper nos occupet, acri  
Qui penitus flamma pectora nostra voret.  
Ad lignum tecum placeat praestare redemptis  
Ut valeant caelis se sociare tibi.

P. AURELIUS LACRUZ

A. R.

# QUAESTIONES LITTERARIAE

PISTULAE CORPUS.—Hoc insuper constituebat rei declaratio vel quaestionis expositio, cui sane crebro istae initiales litterae praeponebantur scilicet... S. V. B. E. E. Q. V. quorum haec est significatio: si vales bene est, ego quoque valeo; aut etiam S. T. E. Q. V. B. E. E. Q. V. hoc est, si tu exercitusque valetis, bene est, ego quoque valeo; vel tandem S. V. G. V. nempe, si vales, gaudeo, valeo. Harum enim prima formularum, ut loco citato scripsit Beyerlinck, in litteris publicis perpetua est, in privatis frequens apud Ciceronem.

EPILOGUS EPISTULAE seu clausula finalis efformatur valedictione id est, imperativo «vale», in epistulis vero, ut ajebat Ovidius, numquam omittebatur...

Hisce quoque litteris interdum epistula claudebatur... B. S. T. hoc est bene sit tibi. Clausula enim Graecis communissima erat «Eirene» seu Pax; quae item adhibita omnibus fere rebus finiendis. Sic igitur se habuit D. Ausonius in versibus monosyllabicis.

Indulge, Pacate, bonus, doctus, facilis vir.

Totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilae. «Pax».

Gratissimae illi valedictioni, nempe vale persaepe haec verba adjungebantur... Etiam atque etiam.

Clausula ista finalis componitur quoque temporis ac loci declaratione. Confer exempla ex epistulis Ciceronis desumpta.

Temporis expressio. A. D. (ad diem vel ante diem) IV non. mart. Vale. (Epist. 13. Lib. VII).

Temporis et loci expressio Valete. VIII. Kal. quintil. Minturnis. (Epistula. 14. Lib. XIV).

Loco etiam quandoque littera «D» praponebantur quae Data vel Datum sibi vult. Nimius quidem in hoc Augustus censendus est nam non tantum, ut cuncti, locum, diem et annum in fine epistularum exprimebat, verum etiam, prout Suetonius scripsit, «Amplius vero Augustus Caesar ad epistulas omnes etiam horarum momenta nec diei modo, sed et noctis, quibus datae significantur, addebat». Subscriptio erat priscis tamen prorsus ignota, quia praemittebant suum nomen.

SUPERSCRIPTIO. — Est quidem apposita tergo epistulae directio. Veteribus etiam, dicit Beyerlinck perraro usitata, mittebant enim litteras per pueros aut tabellarios notos. Epistularum portatores, juxta S. Isidorum, tabellarios vocaverunt. Dicti quoque sunt cursores, ut Martialis scripsit...

Cursorem sexta tibi, Rufe, remisimus hora.

Tabelliones etiam et Gerones a gerendis epistulis atque veredarii. hi erant praesertim equestres cursores prout e verbis Martialis inferri licet...

Parcius utaris, moneo, rapiente veredo.

Et etiam ex illis Ausonii...

Vel celarem mannum, vel ruptum terga verendum.

Veredi siquidem pernices erant equi quibus per publicas vias veredarii ad nuntia deferenda, utebantur. Hoc igitur publicum servitium optime dispositum et ordinatum erat apud Romanos. In longissimis romanis viis ad ultima imperii confinia deducentibus congruentibus viae intervallis, equorum stationes inveniebantur e quibus equo mutato (aut rhedis, nam curribus aliquando etiam cursores usi sunt) egredientes, cursum denuo capessabant. «Tanta enim temporibus Theodosii Imp. velocitate veredi seu equi cursuales pollebant, scribit Cassiodorus, ut tribus diebus venirent ad terminos Persarum et Romanorum et rursus totidem remearent ad Constantinopolim». (Lib. XIX Historiae Sacrae).

«Itaque ergo per tabellas, veteres, ultrò citroque missas, ajebat Beyerlinck, certiores faciebant absentes. Unde Plautus Pseudulo scribens ait... Per ceram et linum, litterasque interpres, Salutem mittit.

Has praeterea tabellas vinculo ligneo obligabant, admota cera, cui imaginem suam aut signum imprimebant. Id refert ipse Plautus...

«Cede tu ceram, aut linum: age obliga, obsignacito».

Quod clare etiam Ovidius ostendit dum canit... Nostra quid adportet, jam epistula quamvis Charta sit a «vincitis» non «labefacta suis» (Elegia VII. Lib. III).

GREGORIUS MARTINEZ CABELLO. C. M. F.



in Latinum transla-  
ta a R. P. Ludovico  
**M A R C O S**  
**C. M. F.**  
Villae Rosarii in  
Argentina litt. Lat.  
Professore

#### IV

Surrexit illico Titus, arrepto-  
que sclopeto, miro quodam ard-  
ore venandi capitur et Melam-  
pus, quidquid erit, adoriri parati.

#### V

At errore comperto, cito rese-  
dit pavor. Crepabat enim nihil,  
nisi aëroplanum versus Titum  
Melampumque volans. Ibi cer-  
neres auritulum canem tois fau-  
cibus latrantem, auritulas ceu  
vexilla pandentem et inimicum  
lacessentem praelio.




#### VI

Paulo post silenter in terram  
descendit aëroplanum. Coram  
æéroplaniga desiliente, Melam-  
pus telluri adfixus cruribus praे-  
postoris immane hiat, utrumque,  
et aëroplanum et aëroplanigam,  
deglutire gestiens. Re tamen  
vera cervino tabescit metu.

#### VII

Tunc nauta delapsus a machi-  
na obviam accurrit Tito, urba-  
nissimeque salutans, eum scis-  
citatur an forte noverit in vico  
illo montano aliquem fabrum  
mechanicum. Annuit Titus galli-  
co more flexus ut ille. Melampus  
autem, timore posito, sensim  
advenae olfactans accedit.

SEQUBTUR



# PALAEASTRA EXERCITORIA

## COMPOSITIONES VERTENDAE

### PRO ALUMNIS PRIMI CURSUS.

**Hirundo nigra, nunc alba.**

*Apricus*, caliente; *hibernus*, invernal; *redeunte*, al volver; *ver*, primavera; *aduncus*, encorvado; *cum*, cuando; *expugnare*, conquistar; *illitus*, pintado.

Hirundines in apicas Africæ regiones hibernis mensibus emigrant.—Sed redeunte vere ad nidos anteacitis annis aedificatos remigrant.

Sola ex avibus quae aduncos unguies non habent, carnem vorat.

Cecina, Volaterranus eques cum expugnaverat civitatem solitus erat mittere ad amicos nonnullas hirundines illitas albo colore quae, per caelum convolantes, nuntiarent victoriam.

### PRO ALUMNIS SECUNDI CURSUS.

**Amor patriótico.**

Hallarse, *detineri*; hospital, *valetudinari*; Pamplona, *Pampelo*; requeté, *miles traditionis*; a consecuencia de, (*non vertuntur haec verba sed petunt ablativum*); frente de batalla, certamen; notar, *sentire*; cuando he aquí que, *cum*; extraordinario, *magnus*; quitar, *evelere*; venda, *ligamentum*; empapar, *tingere*, fuerza, clamor.

Hallábase en el hospital de Pamplona un requeté gravemente enfermo a consecuencia de las heridas que había recibido en el frente de batalla. Notaba que las fuerzas le iban faltando y que la muerte se acercaba con paso seguro, cuando he aquí que con un valor extraordinario se quita el mismo las vendas de las heridas y empapando las manos en su propia sangre las besa reverentemente. Después exclama con gran fuerza: «Muero por mi patria» y al instante expiró.

### PRO ALUMNIS TERTII CURSUS.

**Quid valeat scientia.**

a) *Paterfamilias* quidam ad philosophum Aristippum accessit rogavitque ut

ejus filium susciperet erudiendum. Cum vero ille pro mercede petisset quingentas drachmas, pater, pretio deterritus quod nimium videbatur, dixit se minoris mancipium esse empturum. Tum philosophus: Eme, inquit, et habebis duo».

b) Notanda: *Paterfamilias*: Nomina quae duobus nominativis componuntur, ex. gr. *jus-jurandum*, *utrumque variatur*, si autem nominativo et alio componuntur casu primum tantum variatur.—*Eruditendum*: modus elegantissimus orationis finalis. *Minoris*: pretium indefinitum his ablativis exprimitur: *magno*, *permagno* plurimo, *parvo*, *minimo*, *nihilo*..... et genitivis: *tanti*, *quanti*, *tantidem*, *quantumque*, *pluris*, *minoris*.... Sed cum verbis quae aestimare significant pretium indefinitum adhibetur in genitivo, sic *magni*, *permagni*, *plurimi*, *maximi*, *minimi*, cet. . .

### PRO ALUMNIS QUARTI CURSUS.

**Modus proeliandi in Romana Legione**

Ubi his ordinibus (1) exercitus instrucfus esset, hastati omnium primi pugnam inibant. Si hastati profligare hostem non possent, pede presso (2) eos retro cedentes in intervalla (3) ordinum principes (4) recipiebant. Tum principum pugna erat; hastati sequebantur. Triarrii (5) sub

Annotationes: (1) His *ordinibus*: ordines nihil aliud sunt quam genera militum vel ducum quae in partes minores subdividuntur.—(2) *Pede presso*: h. c. *lentitudine*. (3) *Intervalla*: intervallum proprium est spatium quod datur inter capita seu extremitates vallorum (vallum dicitur munitione militaris qua includuntur castra, oppida obssesa... vulgo dicitur «parapeto, trinchera» quibus castrense val um fit). (4) *Principes*: in militia principes erant milites robustioris aetatis et gravis armaturae qui post hastatos (hi sequebantur rorarios seu velites) in acie ponebantur, et ita dicti vel quod essent praecipuum robur exercitus, vel quod essent ex dittoribus et nobilioribus civibus, vel demum quod olim primi pugnauit inibant. —(5) *Triarrii*: h. c. milites veterani spectatae virutis qui in tertio (si rorarii non numerentur) acici loco ponebantur, pilis armati. Pilum erat telum (dardo, lanza arrojadiza, proprium Romanorum, ideoque triarrii pilani dicebantur. Hastile ipsius feli ut constat ex Vegetio, erat quinque pedum, et semis et ferrum trigonalis figura novem unciarum. (De re milit. I. 2. C. 15).—

vexillis con sidebant sinistro crure porrecto, scuta innixa umeris, hastas subrecta cuspide (1) in terra fixas, haud secus quam vallo saepta inhorreret acies, tenentes. Si apud principes quoque haud satis prospere esset pugnatum, gradum a prima cie ad triarios sensim referebant: inde rem ad triarios rediisse, cum laboratur, proverbio increbuit. Triarii consurgentēs, ubi in intervalla ordinum suorum principes ei hastatos recepissent, exemplo compressis ordinibus (2) velut claudebant vias, unoque continentī agmine (3), jam nulla spe post relicta, in hostem incidebant...

### Raza de héroes

Raza, *genus*; sin cuenta, *plurimus*; Alcázar, *ars*; Coronel, *Tribunus legiōnum*; apretar, *obstringere*; puñado, *manus*; teléfono, *telephonum*; al habla, (*vertatur <loquitur>*); Comandante, *Praefectus*; aparato, *auricularis*; fusilar, *percutere plumbis*; micrófono, *microphonum*.

La patria española tiene héroes sin cuenta que han realizado hazañas dignas de esculpirse con letras de oro. Una de las más grandes es la defensa del Alcázar de Toledo. El héroe de la misma es el Coronel Moscardó con un puñado de valientes. Un

(1) Subrecta cuspide: cuspide (punta) in altum.—  
(1) Compressis ordinibus: Ordines adunabantur et jungebantur inter se quam maxime liceret.—(3) Continentī agmine: h. c., acie continua, sine intermissione variorum exercitus ordinum.

día cuando el cerco se estrechaba más, llaman al teléfono del Alcázar. El Coronel Moscardó al habla.

—Quién llama?

—El Comandante de las milicias marxistas.

—Qué quiere?

—La entrega del Alcázar.

—Eso jamás.

—¿Jamás? No cuelgue el aparato. Tengo en mi poder a su hijo Luis. Si no entrega el Alcázar, fusilaré a su hijo.

—Mi honor militar, mi amor a España me imponen el deber sagrado de resistir hasta vencer o morir.

—Y su corazón de padre .. Le va a hablar su hijo.

—Luis. Papá, ¿cómo estás?

—Moscardó. Bien hijo mío. ¿Qué pasa?

—Pues nada de particular.... me dicen que si no te rindes me fusilarán.

—Y tú ¿qué piensas?

—Que no te debes rendir, que me fusilen pero no te debes rendir.

—Lo esperaba, querido Luisito. Muere como cristiano y como español. Da dos vivas, uno a Cristo Rey y otro a España. ¿Me prometes hacerlo así?

—Sí, padre. Adiós, hasta el cielo.

—Adiós.

Poco después sonaron en el micrófono dos vivas con acento varonil. El hijo murió como cristiano y el padre triunfó como héroe.

PALAESTRICUS.

## SENTENTIAE

1. Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.
2. Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum.
3. Ignis probat aurum, miseriae fortē probant.
4. Pericula timidus, etiam quae non sunt, videt.

PUBLIUS SYRIUS.

# EPHEBORUM EXERCITATIONES

Palaestra Latina omnes vos, optimi ephebi, festiva vocat atque salutat. Ad arma iterum, juvenes strenui. Animos ad nova praelia adjicite. Ne deficiatis in harena, licet ardua et difficulti. Laurus non debetur nisi fronti sudatae. Macie animo quicumque vires vultis exercere litterarias. Vestras narratiunculas, scriptiones et cetera id genus libentes expectamus degustandas. Agite jam ad praelium properate.

## Postulantes Alabonenses totius Congregationis Alumnis. S. P. D.

Faxit Deus ut cum haec ad vos perveniant litterae optime valeatis ut nos valemus. Eas vobis mittere, quam jucundissimas, mirum in modum gaudemus. Nostris verbis salutationem amoris plenam accipite, Alumni carissimi qui per terrarum orbem conmoramini Congregationis dilectiones degustantes.

Et nunc sciatis oportet Commentarium PALAESTRAM LATINAM revixisse castraque Alabonae sub praesidio Beatae Virginis a Columna posuisse. Faxit Pulcherrima Mater ut vita fruatur potente in Dei gloriam et animarumque salutem. Quanti sint fructus illique dulcissimi quos ex linguae Latinae studio reportabimus, cognoscimus nunc rectiusque, vertentibus annis, cognoscemus. Contendite nobiscum in palaestra.

Valete et pro vestris alabonensibus fratribus orate qui vobis omnia adprecari fausta atque jucunda.

## Salve Regina

### Versibus hexametris in Latinum translata

Salve caelorum Genetrix et Mater amata,  
Lux felix et dulcedo, expectatio nostra.  
Clamores nostri surgunt in sidera clara;  
Nos suspiramus, Mater, ploramus amara.  
Ad nos verte tuos oculos pietate venustos,  
Et post exilium monstretur fructus amoris,  
O clemens Genetrix, dulcis, pia, candida Virgo.

GEORGIUS THOURTB, C. M. P.

Villae Rosari in Argentina Latin. alumnus.

## SUB AURORA

Aeris siuavis mulcet aërem sonus:  
egreditur vigilans  
colonus et circunspicit.  
Aurora, liliis rosisque, collum  
jam nitidos apices  
et frondeum spargit nemus;  
Quam pulcra silva, quae, repercussa die,  
undique nunc radiat,  
et alitum cantu sonat!  
Genu pius colonus inflectit suum  
caespitibus teneris,  
ac fronte demissus rogat:  
“Atquaeso, Tu, alma Virgo, Tu sulcos juva  
qui modo rore madent,  
quos sudor aspersit diu.

Ager virens aestate flavescat nova,  
atque leves calamos  
flectant aristae divites.  
Non montibus procella de nostris ruat,  
non segetes aquilo  
minax, agris jam altas, ciat.  
Flabris aristae pendulae horrescant vagis,  
dulcis o Virgo, tibi  
Ave canentes caelicum.  
Ave Maria gratia plena et pia,  
lilia cum violis  
tibi rosasque colligam.

HERCULES J. DI CESARE, C. M. F.  
Cimpiani ad Romam.

# CURSUS GIMNASTICUS

## PROLOGUS

Paucis abhinc annis bis millenarius Vergilius atque Horatius annus in pagellis "Palaestrae Latinae" celebratus est. Alium nunc quoque bis millesimum annum, eumque celeberrimum, in iisdem commemorare oporteret: *Octavii* scilicet *Caesaris Augusti*. Nondum enim extincti sunt clamores, quibus per orbem terrarum universum memoria tanti Imperatoris exaltata et celebrata est.

Quid ergo in hoc cursu gymnastico lectoribus obferemus degustandum? Carmina nonnulla, in honorem Augusti Caesaris ab Horatio conscripta.

Princeps lyricorum inter Latinos, Horatius, perplura composuit, quae vulgo etiam notissima sunt, nempe: libros carminum seu odarum, quattuor epodon libros, saeculare carmen, libros satyrarum duos et duos epistularum, ubi notissimam ad Pisones epistulam invenies, quae vulgo "*De arte poëtica*" inscribitur.

Ex ipsis plura sunt scripta quibus Maecenatem atque Augustum multis celebrat laudibus. Inter Maecenatem scientiarum et artium fautorem, atque Horatium mutuum interfuit commercium. Cum ipso quidem Horatio jocari libentius Maecenas atque agere consuevit eidemque concedere sua scripta. "*Horatii Flacci, ut mei*, sribit Maecenas ad Augustum, *esto memor*".

Mox accedit ut favore Maecenatis non dignitates tantum adsequeretur et honores Horatius, sed ipsi quoque Octavio Imperatori gratus atque familiaris fieret. Libere namque et amice ad illum scribit. "*Antea, ait Augustus ad Maecenatem, ipse sufficiebam scribendis epistulis amicorum; nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam et nos in scribendis epistulis adjuvabit.*" Et in alia Caesaris ad ipsum Horatium epistula legitur. "*Tui qualem habeam memoriam poteris a Septimio quoque nostro audire: nam incidit ut coram illo fieret a me tui mentio. Neque enim si tu superbis amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque vicissim superbimus*".

Sub finem igitur bis millenarii Caesaris anni aliquas Horatii odas quae ad Augustum respectum dicunt evolvendas accepimus atque libandas lectoribus "Palaestrae Latinae" proponere audemus.

## Q. HORATII FLACCI AD AUGUSTUM CAESAREM

**PRAENOTATIO HISTORICA:** *In hoc carmine describit Horatius clades Romanis illatas ob necem Julii Caesaris, optimi principis in Curia Romana virginis tribus vulneribus confossi. Augustum, affirmat poëta unum esse qui tot malis mederi possit. In hac oda duae continentur partes: in prima describuntur calamitates populo Romano immissae; in secunda autem quaeritur remedium: incolumitas nempe Caesaris Augusti.*

**PRAENOTATIO METRICA:** *Carmen hoc est dicolos tetrasstrophos. Primi que tres versus sunt hendecasyllabi, saphici pentametri; quartus autem quisque adonius.*

*Carm. lib. I. 2.*

Jam satis terris nivis atque dirae  
grandinis misit pater et rubente  
dextera sacras jaculatus arces  
terruit urbem,  
terruit gentes, grave ne rediret  
saeculum Pyrrhae nova monstra questae  
omne cum Proteus pecus egit altos  
visere montes,

*Jam satis... nivis*: adverbium «satis» necnon et alia plura ut «affatim, nimis abunde» genitivum petunt.—*Pater*: Juppiter deorum atque hominum pater a poëis vocatur.—*Grave saeculum Pyrrhae*: Pyrrha, Deucalionis Thesaliae regis uxor, una cum viro propter vitae integritatem erepta est communi diluvio, quod illis temporibus accidit. Timuerunt populi ne veniret illud tempus Pyrrhae, scilicet diluvium universale. Pyrrha conquesta est de prodigiis et monstris antea inauditis, quae tunc contingebant (*Cfr. Ov. Metam. lib. I*).—*Proteus*: deus marinus, Neptuni filius et pastor qui belluas mariñas pascebat (*Cfr. Verg. Georg. IV. v. 385*).—*Egit visere*: Graeca locutio seu «hellenismus» pro egit ad visendos montes.—*Pecus*: hoc nomen applicari potest animalibus tum terrestribus tum aquatilibus. In hoc versu animalia aquatilia significat. Synecdoche genus pro specie.

Piscium et summa genus haesit ulmo,  
nota quae sedes fuerat columbis,  
et superjecto pavidae natarunt  
aequore damae.

Vidimus flavum Tiberin retortis  
litore Etrusco violenter undis  
ire dejectum monumenta regis,  
templaque Vestae.

*Pecus in montes... piscium genus* cet.: quid hae voces nobis exprimunt nisi diluvium universale tempore Pyrrhae? Ad rem S. Justinus: «Temporibus Amphitironis regis Atheniensis aquarum illuvies majorem partem populorum Graeciae absumpsit; superfuerunt quos refugia montium receperunt, aut ad regem Thesaliae Deucalionem ratibus enecti sunt; de quo propterea genus humanum conditum dicitur»—*Ulmo*: more avium, in arboribus nidificantium, pisces consistunt. Sinecdoche ulmus, pro quacumque arbore.—*Superjecto aequore*=super terras effuso.—*Vidimus...* Tiberim undas suas retorquentem ab Etrusco Litore. Litus etruscum dicitur mare Tyrrenum, quod Etruriam aluit, in quod Tiberis evolvitur. Quae in hac prima parte odae affirmat calamitatum sunt signa ob Julii Caesaris necem immissarum.—*Ire dejectum*: verba motus ad flumen indicandum amant supinum in —um; ex. gr.: «abi deambulatum», *ve a pasear*,—*Vestae*: Vesta dea Romana igni praeerat, qui Romae ad forum diu noctuque a Vestalibus virginibus alebatur.

M. ZUBIRIA, C. M. F.

# COMMERCIUM EPISTULARE

ANDREAS ARGENTORATUS humanissimo viro J. M. JIMENEZ, salutem.

Jam pridem litteras ad te dare constitueram; id vero ne opere perficerem metulus effecit quod, scilicet, verebar novo te afficere rescribendi negotio.

Nunc temporis et nuntium de Palaestra Latina Caesaraugustae rursus edenda, et crebrum a te mihi significatum desiderium adigit, ut operi tanto cui propter rerum dicendarum inopiam, ut bene nosti, atque verborum caritatem, usque modo operam navare recusaveram, jam aliquantulum manum audeam admovere.

Utrum vero de commisso tibi munere gratuler, an de dulci pondere doleam, cum dubitem, utrumque per discretionem faciam, et te ob dignitatem laude, ob molestiam si quid capies, adhortatione quam humanissima, ut patienter susceptum opus perficias, prosequendo.

Id quidem, suavissime, non joco sed amicitiae, quinimmo veritati atque sinceritati tribues meae, quippe cui exitum expectandum non est nisi forte quod prelo permittitur omni.

Quam ipse rem, quam brevissime potero et facilime puerulis explicem, mox video, cum denuo conloquia et consuetudinem, qua semper usi fueramus, instaurabimus.

Iterum iterumque gratiam tibi habeo et salutem dico plurimam.

JOSEPHUS M. JIMENEZ AN DREAE carissimo S. P.

Demiror sane hominem in Latino sermone adprime versatum metulo quodam adhuc angi ne quid minus recte excidat. Metuant pueri eosque nervi deficiant animique, qui non nisi post multa menda multasque lituras operosos et castigatos versus exarant; tu vero metum expellas, neque timemas novo me afficere rescribendi negotio: e contra novam me delectationem e tuarum litterarum lectione accepturum crede.

Recte quidem de commisso munere doles; non enim est honor quo grataleris, sed potius onus quo, mei infelicitis, miserearis. Tamen quod umeri mei ferre recusant, tua aliorumque Palaestrae Latinae Conscriptorum ope adjuti sustinere valebimus. Ut nunc se res habent, opus erit multa ferre, sudare quoque et algere ut optatam contingere metam possimus; sed non nisi sudatae debetur laurea fronti.

Omnia fausta tibi tuisque discipulis, Deo beante optimaque Matre fortunante, mihi ex imo corde adprecarī liceat. Vale.

Alabonae, V. Kal. Oct. a. 1938.

## GRATULATIO

PALAEASTRA LATINA gaudet cum desideratissimis R. R. Patribus, Henrico Martija et Josepho Mir, hujus Commentarii clarissimis Conscriptoribus. Per tres fere annos marxistarum tempesates procellasque subierunt turbulentissimas. Demum post longos labores atque aerumnas tranquillum libertatis portum feliciter tenere, Deo favente marisque ducente pulcherrima stella, consecuti sunt. Nostris carissimis conscriptoribus gratulationem mittimus ferventissimam, omnia auspicata ac secunda imo pectore exoptantes.

# CONLOQUIA IN SCHOLA

## Pro Hispania in bello et in morte consociati (1)

*(Glandibolo super umerum atque stragulo duo incedunt in agmine. Prior «Requeté» fortis et barbatus. Alter vero «Phalangita» imberbis adulescens. In montem, in cuius cacumine ferrea fragmента surgunt frequentissima, per quamdam semitam ascendit uteisque. Sulphur bellicum et patriam redolere videtur).*

(Con el fusil al hombro y con la manta, marchan los dos en la columna. El Requeté es barbudo y fuerte. El Falangista es casi un niño. Suben por un sendero hacia el monte, en cuya cumbre nacen a cada momento palmeras de metralla. Huele a pólvora y a Patria).




- R. ¿Unde venis?  
PH. Ex Castella venio. Difficilis quidem atque dura terra. Caelum autem nitidissimum. Esne tu Navarrus?
- R. Navarrus! et montanus. Viridia, maxime viridia crystallinaque salmonum flumina. Filius Carlistae, et nepos Carlistae et pronepos Carlistae ego sum.
- PH. Ego vero Josephi Antonii junior sodalis
- R. Mensis currebat Julius, dulces qui praebet cerasos! et in Navarra vel arbores ipsae milites germinabant rubro exornatos pileo.
- PH. Mensis quidem currebat Julius. Aestuabat Castella atque ardebat. Et frumenta quoque sagittarum tum delineabant signum.
- R. Rubri Pilei et rubri et rubri et rubri Pilei... .
- R. De dónde vienes?  
F. De Castilla. La tierra es áspera y dura, pero el Cielo es de seda azul ¿Tú eres Navarro?
- R. ¡Navarro! De la montaña. Hay verdes muy verdes y ríos de cristal y de salmones.  
Soy hijo de carlista y nieto de carlista y biznieto de carlista.
- F. Yo soy el más joven camarada de José Antonio.
- R. Era el mes de Julio—¡el de las cerezas!—y hasta los árboles de Navarra daban Requetés.
- F. Era el mes de Julio—¡Castilla estaba abrasada!—y hasta los trigos, hicieron la señal de las flechas.
- R. ¡Boinas y boinas y boinas y boinas...!

(1) Hac periodica elucubratione Hyacinthus Miquelarena praemium "Mariano de Cavia" anno MCMXXXVII consecutus est.

- PH. *Quanto sub triumphi subucula corda afficiebantur gaudio atque exultabant! Passerem nullum sub caeruleo caelo invenies fortunatiorem.*
- R. *Pectus forte, manus firma et pedes mei desiderio atque Navarrai ardore bellum jam vetus petunt proprantes; Filius Carlistae et nepos Carlistae et pronepos Carlistae ego sum.*
- PH. *Omnes Hispaniae nubiles sponsae sagittas plumarunt: Omnes! Meae proxima nocte plumatae sunt Sum et ego Josephi Antonii junior sodalis. Habesne uxorem?*
- R. *Habeo.*
- PH. *Et filios?*
- R. *Et filios.*
- PH. *Ego autem neminem habeo. Ego solus. Quam feliciter in bellum pergitur! Quam feliciter! Sine matre nubilique sponsa quam perbene pergitur!*
- R. *Si in bello occideris, quem tuae mortis certiorem faciam?*
- PH. *Neminem. (Oculos in caelum tendens). Deus statim sciet. Ac si tu mortus fueris?*
- R. *Josephum Mariam Hernandorenam, in cohorte «Montejurra», quinque et sexaginta annos natum, certiorem facito. Meus est pater.*
- PH. *Et ni... adsit?*
- R. *Josepho Mariae Hernandorenae, in cohorte «Montejurra», quindecim annos nato, dicio. Meus est filius.*
- PH. *(Canit). Quam feliciter in bellum pergitur! Quam feliciter! (Sibilant glandes) Mea post terga «Requeté» proficiscere. Uxorem habes tu atque filios. Ego solus. (Canit). Sine matre nubilique sponsa quam perbene pergitur!*
- F. ¡Cómo temblaba de alegría el corazón en la camisa del triunfo! Un pájaro no se siente más feliz en el añil del Cielo.
- R. Mi pecho es fuerte, mi mano es firme y mis pies van a la guerra de siempre, llevándose la ilusión de Navarra. Soy hijo de carlista y nieto de carlista y biznieto de carlista.
- F. Todas las novias de España bordaron flechas ¡Todas! Las más son de noche. Soy el más joven camarada de José Antonio. ¿Tienes mujer?
- R. Sí.
- F. ¿Tienes hijos?
- R. Sí.
- F. Yo no tengo a nadie. ¡Qué bien se va a la guerra, qué bien se va! Sin tener madre ni novia. ¡Qué bien se va!
- R. Si caes. ¿A quién quieres que se lo diga?
- F. A nadie. (Mirando al cielo) Lo sabrá en seguida el jefe de Presentes. ¿Y si mueres tú?
- R. Díselo a José María Hernandorená, 65 años, Tercio de Montejurra. Es mi padre.
- F. ¿Y si...no está?
- R. Díselo a José María Hernandorená, 15 años, Tercio de Montejurra. Es mi hijo.
- F. (Canta). ¡Qué bien se va a la guerra, qué bien se va...! (silban las balas) Oye, Requeté, colócate a mi espalda. Tú tienes mujer e hijos, yo no tengo a nadie. (Canta).. Sin tener madre ni novia ¡Qué bien se va!



- R. *Te praecedam. Rem militarem nescis. Puer es tu.*
- PH. *Age jam... quietum me relinque.... (Sibilant glandes).*
- R. *Mensis currit Julius, dulces qui praebet cerasos! ipsae vel arbores pileos germinant rubros.*
- PH. *Sagittae recentes, sagittaeh esternae in bellum me comitantur! Quae hostilis glans Phalangis pectus cupid adulescentius?*
- R. *Pro matre tua, quaeso, humi corpus prosterne.*
- PH. *Matrem non habeo Quisnam ambic? Quisnam hoc exoptat? Tela conjicite, viri strenui, tela conjicite, sors cui obveniet! Perbellum aur eum cor... Ecce merces... (Vu'neratus cadit).*
- R. *Multum effundis sanguinis!*
- PH. *Praemium illi inimico viro .., (Phalangitam Requeté noster amplexi tur eumque umeris portat). (Circum eos sibilant glandes. Ambo in terram veniunt amplexi).*
- PH. *Tu quoque vulneratus. Strennus, strenuus.*
- R. *Ne obliviouscaris.*
- PH. *Josephus Maria Hernandorena...*
- R. *Quinque et sexaginta annos natus...*
- PH. *In cohorte «Montejurra»..*
- R. *Et ni. . adsit?*
- PH. *Josephus María Hernando-reна.*
- R. *Quindecim annos natus...*
- PH. *In cohorte «Montejurra».*
- R. *Vale, puer, vir magnus et praeclarus es tu.*
- PH. *Sursum Hispania Mater! (Primus aurorae matutinus nuntius, plene rosaceus, duo amplexa inventit cadavera).*
- R. Voy delante. Tú no sabes todavía. Eres un chico.
- F. ¡Bah... Déjame en paz! (Silban las balas).
- R. Es el mes de Julio ¡el de las cerezas! y hasta los árboles dan Requetés.
- F. ¡Flechas frescas, flechas de anoche van conmigo a la batalla! ¿Qué bala enemiga quiere el pecho más joven de la falange?
- R. Echate al suelo, por tu madre.
- F. No la tengo ¿Quién lo quiere? ¿Quién lo desea? ¡Tiren, señores, tiren, a ver quién se lo lleva! el premio es un bonito corazón de oro. (Cae herido).
- R. ¡Sangras mucho!
- F. El premio es para aquel caballero enemigo.... (El Requeté recoge al Falangista y se lo lleva al hombro. Las balas silban en torno del grupo. El Requeté cae en tierra con su compañero)
- F. También te han herido a ti. Eres un bravo.
- R. No te olvides.
- F. José María Hernandorena.
- R. ....65 años....
- F. Tercio de Montejurra....
- R. ¿Y si no está?
- F. José María Hernandorena.
- R. ....15 años....
- F. .... Tercio de Montejurra....
- R. ¡Adiós, pequeño, eres muy grande!
- F. ¡...Arriba España!
- (El primer albor de la mañana, hecho todo él de nacar, encuentra dos cadáveres abrazados.)



# DE BUCOLICIS VERGILIANIS

Tribus polissimum P. Vergili Maronis nomen commendatur operibus meritisque in omne aevum extolleter laudibus: Bucolicis carminibus, quae de rebus ad oves oviumque magistros praefatis argumentis, ipsem pro testimonio dicit Vergilius spectantibus agnii; Georgicarum Libris, de agrorum cura versantibus, et Aeneidos poemate, in Aeneae laudem exarato. De quibus suis tumuli inscriptione ab eo, cum jam animam ageret, litteris mandata:

*«Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc  
Parthenope: cecini pascua, rura, duces».*

Quod ad Eglogas attinet, Pomponio, vetere Gramatico teste, tum cum Tiberius vitam agebat et ipso vitam agente Libros Bucolicos memoriae prodidit Vergilius cum vicesimum tertium iam vel vicesimum quartum aetatis egisset annum; universique a vetustate profecti Latinae Linguae cultores, de tempore in eis condendis impenso, unam exprimunt sententiam tres, ajentes, confectos annos.

Quaenam fuerit eas exarandi occasio, Liber «De conditione agrorum», cuius Siccarius Flaccus auctor, nos apud Romanos in Coloniis condendis testatur, eas milites inter emeritos partiri simul et cum agris; eo usque, ut, si non omnibus suppeterent militibus, finitimi a conditore occuparentur agri. Quod bello inter Antonium et Augustum indicto, evenit: nam hic victor cum abiret, suis Craemonae rura tradidit capessenda, eisque non sufficientibus, arva, viciniae causa, cumulavit mantuana; quod Vergilius cum Divisore Varo sub Meliboei nomine:

*«Vare, tuum nomen (superet modo Mantua nobis,  
Mantua, vae miserae nimium vicina Cremonae!)  
Cantantes sublime ferent ad sidera cygni».*

Unde facile nobis ex dictis constat, Bucolicas tum conditas cum Vergilius jactaram fundi qui illi apud Cremonam erat, dolenter fecit; illumque Vati Latinorum Principi, postquam Eglogas in vulgus edidit, restitutum.

Decem sunt Vergili Maronis Bucolicae, quae maximis, optimo jure, cumulantur honoribus: «*Tityrus*», cui nomen praefixum, qua fundum ploratum edit apud Cremonam amissum pariterque nimia perfunditur laetitia ob eundem, preces pro eo Mecaenate interponente, redditum. Altera nuncupatur «*Alexis*» apprime Rusticum amore captum depingens vehementissimeque perdonentem quod apud Alexim parum sit gratiosus. «*Palaemon*» tercia, cuius actores Palaemon, Menalcas et Damoetas quos inter, rixis apud eos contingentibus, Palaemon iudicis personam sustinet. Maximis fuit in laudibus quarta, «*Pollio*» quae dicitur, in qua quidam in scientia Mythologica parum versati de Jesu Christo loqui immiterito putabant. «*Daphnis*» vocatur quinta, per eumque fratrissui mortem quem mirifice diligebat Flacci, ingemit poeta sub Mernalcae nomine una cum Mopso pecoris custode. Sexta, «*Silenus*», Faunorum, Satyrorum et Silenorum vitam, in obsequium Quinctilii Vari, refert jucundam. Septima »*Meliboeus*» de pastoriibus agit, Thirsi et Corydone, de musica certantibus, uter eorum in ea praestantior. Octava cui nomen «*Pharmaceutria*», Teocriti instar extorta, quomodo queratur pastor enarrat, Nisae deceptus amore; quam ob rem, incantamentis, cuiusdam viri amorem sibi conciliare conatur. Nona, «*Moeris*» titulo insignita, a nomine cuiusdam pastoris, tale in praefata Egloga munus obeunis, originem dicit, in eaque de milite queritur Vergilius et Caesarem Augustum celebrat. In decima Bucolica «*Gallus*» indicata poetam Cornelium Gallum solatur Vergilius a Cytheride, Lycoridem quam appellat spretum.

Hocce Vatis Mantuani Bucolicarum perceptum habeant per breve argumentum Latinae Linguae cultores, ex quorum lectione non parum utilitatis haurire poterunt, praesertim si iisdem operam impense dederint vehique pleno velo in litteris humanis addiscendis optaverint.

MATTHIAS LUENGOS, C. M. F.

Xerae Equitum, idibus Novembribus an. MCMXXXVIII.

# IN MEMORIAM

Cm<sup>l</sup>. Drs. ALOISII SEGALÁ ESTALELLA Professoris Barcinonensis.

Luctuosa rerum perturbatio quae hisce ultimis annis plures Hispaniae vastavit provincias, non tantum in Deum et Religionem fovit odium, verum etiam in viros catholicos aversiōnem et proscriptionem, etsi versatissimos in humanioribus litteris et in scientiis peritissimos. Quos inter clmum. Professorem Aloisium Segalá Estalella recensere debemus, qui vix dum communistarum tyrannico imperio incoepit, illius munere docendi, quod per triginta annos functus erat, spoliacione multatus, atque in gloria senectute contemptus et vexatus Barcinone ignearum glandium jactu occubuit.

Occubuit igitur—o dirum et lacrimabile fatum!— professor clmus. et litterarum Graecarum et Latinarum fautor eximius, tum praesertim cum ejusdem doctrina et scientia utiliora forent ad informationem Graecae et Latinae linguae in Hispania instaurandam.

Praeclarus hic linguarum classicarum cultor Barcinone natus est die 21 m. Junii, anno vero 1873. Humanis litteris in Gymnasiis et Academiis tum Barcinone tum Matriti operam dedit, ibique Prolyta et Doctor in Jure et philosophia et litteris renuntiatus maximo cum honore et publica laude. Inter hujus viri dignissimos magistros facile reperies Drem. Clementem Cortejón, studiorum classicorum peritissimum; Drem. Josephum Balari Jovany in rebus Helenicis versatissimum, de quo Aloisius noster saepissime cum discipulis sermonem habebat. Dignus quoque est qui inter magistros memoretur eximius polygraphus Menéndez Pelayo, qui, admiratione erga discipulum raptus haec de traslatione Iliade poëmatis, quam Dr. Segalá anno 1908 edidit, proferre non dubitavit: «tributum dignum est, quod nemo omnium nostrum, qui litteris Graecis vacaverint offerre adhuc potuerat Principi Epi- corum poëtarum».

Magisterii munere fungi coepit Dr. Segalá anno 1895; primum in nonnullis lyceis seu conlegiis Barcinonensis, deinde in academia Hispaleensi, denique in Barcinonensi academia ab anno 1906 ad annum 1936, in quo

«burri» homines, immanitate barbari moribusque efferati, eum a munere avulsum et proscriptum fecerunt.

Plurima edidit scripta sive proprio penu et labore, sive aliorum ope freatus. Praecipua tantum innuam:

«Colección de autores clásicos griegos y latinos (adjuvante Dre. Crusat).—Colección de literaturas antiguas.—Bibliotheca Scriptorum Graecorum et Romanorum cum Iberis versionibus.—Gramática del dialecto eólico.—Gramática del dialecto homérico.—Obras completas de Homero: Versión directa y literal.—Doctrina de los doce apóstoles.—Esíodo: Teogonía.—Cuadro sinóptico de la literatura griega profana.—Vocabulari Sanscrit catalá y Resum de sintaxi llatina.—Crestomatía llatina.—Vocabulario del lib. I de la Anábasis. La copa de las lágrimas (ab hodierna lingua Graeca translata), etc.

Unde nihil mirum si praecipuae societates pro cultu litterarum humaniorum inter praeclaros socios Drem. Segalá recenserent, quales sunt ex. gr.: «Association pour l'Encouragement des Etudes Grecques» (Parisiis inscriptus a. 1908), «Bizantiologique Etairia» (Athenis inscriptus a. 1909), «Real Academia de Buenas Letras» (socius factus Barcinone a 1910), «Institut d'Estudis Catalans» (in qua non tantum socius sed et propraefectus sectionis Philologicae fuit), «Real Academia Sevillana de Buenas Letras», etc.

Hic sollicitus magister et scriptor copiosissimus magnis cumulatus est laudibus. De eo enim Moderatores Consilii Regii Publicae Institutionis jam pridem egregium testimonium dederunt, cum haec habebant: «Dr. Segalá vixit vivitque litteris classicis toto corde et fervore deditus, in quibus indefesso labore totam aciem ingenii collocavit».

Nunc quoque vivit Clmus. Aloisius Segalá nec obscurabitur fama illius, quem Athenae et Roma in filium adoptaverant; etenim «dignum laude virum Musa vetat mori».

Vivas igitur, Aloisi carissime, et in Domino requiescas dum nos Hispaniae Novae fervida juventus exempla tua lucida pro viribus aemulamur.

ALOISIUS PUJOL, C. M. F.

# BIBLIOGRAPHIA

## A. POTUCEK, *Fontes Litterarum Latinarum*

*Vol. I.* Lateinisches Lesebuch mit 2 Karten und 16 Abbildungen; XII-110. 1935.—*Vol. II.* Leben und Weben in der lateinischen Welt des Altertums, des Mittelalters und der Neuzeit. 1) Teil: Texte mit 35 Abbildungen; XVI- 216-S. 2). Kommentar. VI-112 S. 1937.—Reichenber Nordböhmischer Verlag.

Dulciss ex ipso fonte bibuntur aquae. Hanc sententiam iterum confirmatam esse comperimus in hoc Clmi. Augustini Potucek opere praestantissimo, quod non tantum ad informandos juvenes aptum judicamus sed etiam ut Latinitatis magistri elementa ad historiam litterarum Latinarum pertinentia quasi ex fontibus exhaustiant,

Volumen primum continet selecta ex operibus Aviani, Cornelii Celsi, Ciceronis, Curtii Rifi, F. Eutropii, Auli Gelii, Hygini, V. Livii, Marcelli, Cornelii Nepotis, C. Plinii Secundi, C. Suetonii, Valerii Maximi, Velleji Paterculi, Silvii Piccolomini, Arnoldi Cosmae (Chronicon Boëmorum), cet.

Volumen alterum duobus constat partibus, quarum prima in undecim capitibus divisa adfert, ab antiquissimis linguae Latinae temporibus usque ad hunc diem, inscriptiones, fabulas, sententias, notitias de institutionibus Romanis, carmina, oblectamenta jocosa, aliaque. Praeter scriptores Romanos etiam proponit auctor Augustinum, Hieronymum, Einhardum Otonem episcopum Frisingensem, Hrotsvitam, Caesareum Heisterbacensem, vagantes clericos, Desiderium Erasmum, Bohuslaum Hassensteinensem, Comenium, Martinum Opitz Copernicum, Cartesium, Spinozam, Leibnitium, L. Galvani, C. Fridericum Gauss, Pontifices Maximos Leonem XIII et Pium XI. Secunda alterius voluminis pars continet tantum commentarium ad usum discipulorum.

Textibus praemittuntur breves quidem, sed utilissimae auctorum et re-

rum adnotaciones. Opus conlustratur per pulcris picturis et viventibus imaginibus geographicis, quae docent simul et placent.

## BOÈCE, *La Consolation de la Philosophie*

Texte latin avec trad. nouvelle, introduction et notes par A. Bocognano.—Coll. Classiques Garnier, XXX-286. 1937. Librairie Garnier Frères, 6r. des Saints-Pères. Paris 15 fr.

Anicius Manlius Severinus Boëthius, non tantum eximius fuit cum a Theodorico imperatore, ad culmen publicorum honorum evectus est, sed etiam cum, adversa fortuna, quae saepe mutatur in annos, in carcerem dejectus, librum de consolatione Philosophiae conscripsit. Hujus vero libri quanti sit pretii ex pluribus editionibus et translationibus necnon ex clarissimorum hominum testimoniis judicabis. Neque tantum Philosophi laudant et theologi sed etiam litterarum humanarum cultores enixe commendant. In eo enim, tum vincta tum soluta oratione, mirae eruditio ves- tigia reperiuntur. Scriptorum latinorum praesertim, Horatii, Ovidii, Vergilii, Senecae, Boëthius noster memorabilia passim spargit, ne penitus barbarorum ruina ac devastatione pereant. Magnum adfert versuum copiam; plus viginti metrorum varietas invenies quae vi poëtica minime carent. Ab initio operis maestis plectris curas suas enarrat Boëthius:

«*Carmina qui quondam estudo florente [peregi, flebilis heu maestos coger inire modos]*»;

sed eas sacris concordibus levare curat cum ait ad Deum mentem elevans:

«*Tu requies tranquilla piis, te cernere [finis, Principium, vector, dux, terminus idem]*».

J. M. JIMÉNEZ.